

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptvarii exequialis pars ...**

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive  
scripturae dicta varia ...

**Bidembach, Felix**

**Francofurti, 1625**

Thema XLV.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

omnis operum iustitia, quæ pannus menstruatæ est, Esai. 64.

III. De gaudio vitæ æternæ hic dicendum. Cuius initia sentimus in hac vita. Speculati, Rom. 8 v. 24. 1. Joh. 3. v. 2. Estque hic gaudium in Spiritu sancto, Roman. 14. At in specula ista videmus. 1. Cor. 13. v. 12. Itaque fatietas nondum nobis contigit.

Ibi vero saturabimur imagine Dei, Psal. 17. v. 15. Auris non audiuit: oculus non vidit, Esai. 64. 1. Cor. 2. v. 9.

1. Consolationem hinc petant omnes, qui in mundo pressuram habent. Joh. 16. vers. 33. Ibi gaudium erit, quod nemo tollet, Joh. 16. v. 22.

2. Cupiamus mori & dissolui, Phil. 1. v. 23. & desideremus superindui, 2. Cor. 5. v. 2. atque dimitti, Luc. 2. v. 29. Quia hic gaudium omne luctus excipit, Prouer. 14. v. 13. At ibi nec luctus, nec clamor, Apoc. 21. v. 4. Gott woll daß wirs erleben. Alleluia.

F I N I S.

T H E M A XLV.

Psalm. 17.

*Ego in iustitia contemplanor faciem tuam, satiabor, cum euigilauero, imagine tua.*

D I S P O S I T I O.

Dauid in verbis præcedentibus huius Psalmi dixerat, Impios in hac vita accipere suam portionem, & omnem felicitatem suam in rebus terrenis collocare, si impleatur venter illorum, & relinquat filiis bona sua, v. 4.

Hi certe cum Epulone bona sua recipiunt in hac vita, postmodum cruciantur. Luc. 16. v. 25.

Contra vero idem Dauid in his verbis Psalmi ostendit, in quo ipse suam felicitatem quærat, & quæ maximè ipsius lætitia. Qui itaq; non cum impiis, post huius mundi gaudia, volunt cruciari, illi cū Dauidè sentiant hoc loco.

D. cc.

Dicemus ergo 1. Quæ Daudis & omnium Christianorum maxima sit felicitas, ex qua consolationem in vita, & morte accipiant.

2. Quomodo illam felicitatem possimus consequi.

3. Quando illius perfectæ felicitatis sit futurum initium.

### I. Pars.

In pii in hac vita haud raro sunt felices hominum quidem aliorum; & sua propria opinione. Ipsorum autem felicitas tantum consistit in bonis terrenis, & vt plurimum in illa *causa*, de qua Philipp. 3. vers. 19. & in similibus aliis bonis, de quibus Psalm. 144. vers. 15. beatum dixerunt, cui sunt hæc. Idem Iob affirmat, cap. 21. à vers. 7. ad 16.

Contra pii videntur omnium infelicissimi, in his terris, cum plerumque egeant & variis calamitatibus premantur. Et sane si omnis felicitas in rebus terrenis consisteret, non essent homines magis miseri sub cælo, quam pii. At quia in his rebus euanidis, nulla est perpetua vera aut constans felicitas, cum plerumq; extrema gaudii lætæ occupet, Prouerb. 14. v. 12. & lapsu grauiore ruant, qui in sublimi erant collocati, Psalm. 73. v. 18. atq; ad mandandum saginati mox pereant, Jerem. 12. v. 3. ideoq; Daud cum omnibus Christianis felicitatem in rebus æternis & nunquam perituris collocat.

De quo hic: Videbo faciem tuam, ò Deus: & satior in imagine tua. Ego æternam vitam & felicitatem quero.

Et intueor quidem in hac vita faciem tuam gratiosam, dum verbo & sacramentis vtor.

Estque hæc vita æterna, vt cognoscamus Deum, Ioan. 17. v. 3. Et spe iam sic salui sumus, quicumque intrinsecus hanc gratiosam Dei faciem, qui omnes pro filiis & coheredibus filii vniuersi agnosceret, Rom. 8. vers. 16. & 17.

At quia hic tantum videmus in speculo & ænigmate, 1. Cor. 13. v. 12. atque nondum apparuit, quid futuri sumus, 1. Ioan. 3. v. 2. ideoque nondum satietas nobis est: at in altera vita perfectissime satiabimur imagine Dei, (quã hic perfecte intueri non datur cuiquam, Exod. 33. v. 20. 1. Tim. 6. v. 16. cum habitet lucem inaccessam) quando visuri sumus facie ad faciem, 1. Cor. 13. vers. 21. sicuti est, 2. Ioan. 3. vers. 2. & similes ipsi erimus. Ibidem atque habituri corpus conforme imagini filii gloriolæ, Phil. 3. v. 21. Hæc perpetua delectatio, Psal. 16. in fine.

Consolatio quæ possit esse maior, in omnibus huius vitæ miseris: quod nihilominus nobis spes certissima est, de præsentia Dei, atque ipsius clementia, qui se nobis patrem ostendit & vires largitur ut semper possimus eluctari De his alias copiose.

In morte etiam consolatio nostra sit, quod visuri sumus Deum, & satiabimur illo aspectu. Et quidem in carne nostra: quæ summa fuit Hiobis consolatio. Hiob. 19. vers. 26. & 27.

Nihil itaque tenebræ illæ mortis nocebunt, quia mox Deus videbitur. Tu mecum. Psal. 23. v. 4.

## II. Pars.

Quomodo autem possumus aspirare ad tantam illam felicitatem? Id vnicò verbo Psaltes docet: addens hic, *in iustitia*. Non autem intelligit propriam iustitiam, quã scit conspurcatam multis fœdis peccatis. Ideoque deprecatur, ne intres. Psal. 143. Ne obserues iniquitates, Psal. 130. Non enim est iustus, ne vnus quidẽ. Psal. 14. Sed pro remissione orabit omnis sanctus, Psal. 32. v. 6.

In iustitia autem illius cuius hoc est nomen. Dominus iustitia nostra. Ierem. 23. v. 6. & 33. v. 17. apparere vult in conspectu Domini. Hunc enim Dominum, germen Dauidis iustum. Ier. 33. v. 15. nasciturum probe nouit, quod patet ex 2. Sam. 7. v. 29. & 1. Paralip. 8. v. 17.

Eadem apud nos ratio videndi Deum: scilicet *in iustitia*

stitia, fidei. Christus enim factus est nobis iustitia: quod ex Hieremia Paulus repetit. 1. Cor. 1. v. 10. De qua Esa. 53. v. 11. Cognitione sui iustificabit. De hac Rom. 1. v. 17. & 3. v. 14. & 5. v. 9. Sanguine illius iustificati. Et Gal. 1. v. 16. Ephes. 1. v. 7. Vnde videmus, doctrinam de iustitia fidei esse antiquissimam. Et eadem via Dauidem ad videndum Deum fuisse ingressum, qua nos.

## III. Pars.

Sed quando tandem perfectæ illius visionis Dei fiet initium? cum in hac vita tantum (vt diximus) in speculo videamus? Quando satiabimur? Cum euigilauero, ait Dauid.

Mortem somnum esse scit: ex quo simus resuscitandi, tanquam dormientes, qui euigilant. Itaque post resurrectionem mox nos Deum visuros asserit. Cui assentitur Paulus, 1. Thess. 4. v. 17.

Vfus huius loci præter cætera, de quibus ante diximus, hic etiam erit, vt cupiamus mori & dormire: vt etiam nobis euigilantibus videatur Deus. Quia Deum prius non videbimus, nisi moriamur & euigilemus.

Qui autem illic volunt euigilare cum gaudio, illi prius hic etiam euigilent iuxta Paulum, 1. Cor. 15. v. 34. *in te*, ne peccent. Et surgant de somno, Roman. 13. v. 12. Alioquin non videbunt Deum cum gaudio.

F I N I S.

## THEMA XLVI.

Psal. 18. v. 26.

*Dum humilias me, magnum me facis.*

## DISPOSITIO.

Non sine causa Deus dicitur mirabilis. Esa. 9. v. 6. Psal. 68. v. 36. Exod. 15. v. 11. Syr. 43. v. 31. & in sanctis suis, Psal. 4. v. 4. & 68. v. 36. & in omnibus operibus suis, Job. 9. v. 10. Psal. 66. v. 3. & 139. v. 14. Atque mirabile omne consilium eius, Esa. 28. v. 29.

Etenim